

garum Ducis , qui Elvetio bello periit , filiam in uxorem ; atque ob eas nuptias in amplissimum principatum receptus , per novos motus difficileſque bellorum minas audax juvenis , & ad arma & pacis ſtudia æque promptus , ferociſſimam alioquin gentem ſuo aſſueſcere coegit imperio . Eam igitur declarationem ille & Fœdericus pater Venetis , velut amiciffimo populo , per literas ſignificaverunt . Quo nomine ad utrunque decreta eſt legatio : Dominicus Triviſanus & Hermolaus Barbarus (vir non in Venetis ſolum , ſed tota etiam Italia literarum ſtudiis maxime inſignis) miſſi ; qui publico nomine illis præſentem regiæ appellationis declarationem gratularentur . Ambo equeſtri ſunt dignitate donati . Decreta & in Luſitaniam altera legatio , ad gratias ipſi Regi Principis & Patrum nomine agendas , quod paucis ante menſibus Venetarum triremium turmas , poſt piraticum prælium ſuis littoribus diſjectas , hoſpitio & viatico juviſſet . Hieronymus Donatus , vir & ipſe ſtudiis philoſophiæ clariffimus , per eos ferme dies , quo illi in Galliam , ſolus ad id munus profectus eſt . Remiſit ſub vernum tempus peſtilentia : atque id prorſus circa ſoliſticiū evanuit , ut multis ante annis nullus ſalubrior fuerit civitatis ſtatus . Secuta & alia fœlicitas , Barbadiſci Principis ſolertia diligentique adminiſtratione orta : tam larga rerum omnium annona , oneroſam alioquin civitatem aluit , tanta vis tritici , vini , olei , omniumque obſoniorum tempeſtive eſt in urbem importata , ut raro alias conſtet , Venetam civitatem majore ocio & ſecuritate floruiſſe . Accedebat ad hanc temporum lætitiā , quod Veneti tunc terra marique pacate agebant : qua re vulgo perſuaſum eſt , ab urbe condita ad id tempus nullum beatiorem fuiſſe civitatis ſtatum , in quo non ſolum retinendo , ſed augendo etiam , quum maxime ille eſſet occupatus , morte quidem fatali , ſed quæ poſtea tanti viri deſiderio invidia non caruit , menſe ſuæ adminiſtrationis nono vita deceſſit ; atque eo fortasſe eorum omnium , qui ante illum Reipublicæ præſuere , fœlicius , quod præter egregiam ſobolem , quam ſoſpitem

*Regimen
Barbadiſci
fœliciſſi-
mum .*